Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25961
Copyright: Admont, Benediktinerstift

misissem illam ab initio. nec illa paulatim erudita fuisset. nec
tu scisses uirtutem animi eius. nec latentem fidei thesaurum. et ideo
suspendi donationem. ut tu agnosceres fidem. O mulier.
Deus dicit O mulier. Audiant hec qui iacentes orant. et fastidiose
precantur. Quando dico kyrie roga dominum. obsecra eum. famulare
illi. dicit semel rogaui. secundo et tercio. et decies et uicies. Et quid?
Non accepi inquit. Non recedas quousque accipias. finis postu
lati acceptio deprecantis est. Tunc cessa quando acceperis. immo
magis nec tunc cesses. sed et tunc persevera. agens gratias pro eo quod
accepisti. ut perseueret tibi quod acceperis. Nonnulli in
troeuntes ecclesiam in mille uersus extendunt orationem suam
quasi apud dominum multitudo sermonum opus sit. tanquam ignoran
tem quid postules. qui antequam cogites nouit. Nam et illi qui
dem quid dicant nesciunt. labia mouent solummodo. mens
autem sine fructu est. et aures eius surde sunt. Tu non audis oratio
nem tuam. et dominum uis audire precem tuam. Fieri inquis genua.
Curuasti quidem genua intus. sed mens tua foris uagatur.
Corpus tuum intus. sed sensus tuus foris. Os quidem loquebatur. sed
mens usuras cogitabat. possessionum redditus supputabat.
descriptiones domorum uidebat. amicorum uerba uoluebat.
neglegentias intuebatur famulorum. parasitorum urbanita
tes ridebat. mulierum speciem considerabat. Diabolus enim cum
sit astutus. scit quoniam in tempore orationis grandia postulamus
et sepius impetramus. propterea festinat impedire inprouidas mentes.
nam aliquotiens cum resupini iacemus in lectulo. nichil tale co
gitamus. sed cum uenimus ad orationem. cogitationum nos opprimunt
nubes. ut nos auocent. et sine fructu efficiant. Hec ergo sciens in
orationibus fieri. imitare uir chananeam mulierem. que uigilanter et
cum summa sapientia rogabat dominum. et ideo meruit impetrare.
Sed forsitan dicis. Non habeo filiam que demone plena sit. sed habes
animam peccatis refertam. Et quod dixit chananea. Miserere mei